



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficul. 6. Deducitur né id bene, quia supponeret ut pars debiti remissa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

hoc ipso, faciliores reddantur homines ad peccandum.

CONTRA. Tum quia de hoc ipso quaeritur, cur peccatum postulet juxta sui gravitatem, ne attendatur ad quamcunque satisfactionem humanam, cum non postulet, ne ex misericordia condonatione, facilius homines, ad facile peccandum? Tum quia potest Deus culpam & penam remittere, ex misericordia, manente periculo facilis offensae; cur etiam condignè placari creatura non poterit, manente aliquo periculo offensae? Tum quia ne Deus miserans attendat ad periculum facilis offensae, praestet hoc misericordia; ergo ne ad idem attendat, praestet poterit satisfactio creaturae, si aliunde non sit inaequalis; ut non est inaequalis, quia ejus inaequalitas deducitur ex periculo facilis offensae.

Punctum Difficultatis 6.

Deduciturne id bene, quia supponetur pars debiti remissa?

Vasquez disp. 2. c. 5. & 6. ita discurret. Illa satisfactio non est sufficiens & condigna, quae compensat nonnisi partem debiti. & de cætero supponit condonationem; jam autem satisfactio pro mortali, semper supponit condonationem; supponit enim condonationem debiti, quod est carere auxiliis gratiae; ergo illa satisfactio non est sufficiens.

DICENDUM EST. Exinde non rectè deduci im-

possibilitatem satisfactionis ponenda a pura creatura. PROBATUR 1. Quia debitum illud carendi auxiliis gratiae, quod condonari debere dicit Vasquez in omni satisfactione, vel pertinet ad culpam, vel pertinet ad poenam? si pertinet ad poenam: Contra est. Tum quia sequitur, putam creaturam nonnisi pro poena satisfacere non posse, quia ipsum debitum quod remittitur carendi auxiliis gratiae, spectat ad poenam. Tum quia, si hoc debitum spectat ad poenam, ergo Vasquez non tangit propositum difficultatis: in qua quaeritur, non de poena sed de culpa. Tum quia si hoc debitum est poena, ergo ex principiis Vasquez sequitur, satisfacere pro culpa, puram creaturam posse; quia in principiis Vasquez, pro toto residuo, condignè satisfacit, præter debitum carendi auxiliis gratiae, inter residua autem est culpa. Si autem debitum illud carendi auxiliis gratiae, spectat ad culpam? ergo antequam supponatur esse remissa culpa. Sequela probatur, quia antequam supponatur elicitus esse actus satisfactivus, non supponitur esse remissa culpa, cum vi satisfactionis remitti deberet; & tamen ante illum actum satisfactivum supponitur condonatum esse debitum, carendi auxiliis gratiae; quia antequam eliciatur actus satisfactivus, supponitur haberi gratia, tanquam principium ponendae satisfactionis; consequenter, ante satisfactionem, erit remissio culpae, quia re-

missio debiti carendi auxiliis, quod debitum spectat ad culpam.

RESPONDERI posset, eodem instanti, quo remittitur hoc debitum, conferri gratiam remissivam peccati: adeoque non prius remitti culpam, ante remissionem culpae; sed si res sit de priori rationis, sicut prius ratione est pars una culpae, & postea alia pars seu formalitas culpae, sic poterit & prioritas rationis, in ipsa remissione culpae admitti.

CONTRA. Tum quia vi hujus doctrinae, etiam prius tempore posset remitti culpa, antequam remittatur culpa; quia posset prius tempore, remitti debitum carendi auxiliis, quod est culpa. Tum quia sequitur in principiis Vasquez, quod dum prius ratione remittitur culpa, stans in debito carendi auxiliis, jam aliae formalitates non sint culpa: quia aliae formalitates sunt jam compensabiles; & tamen ea quae sunt culpa mortalis, dicunt Patres, non posse à pura creatura compensari. Tum quia quod hoc voluerit Vasquez, & quā id probabilitate dixerit, ex doctrina ejus colligi non potest.

Cæterum videtur potius sentiendum, quod debitum carendi auxiliis spectat ad poenā, nam etiam macula peccati, reatus &c. spectant ad poenam. Et certe, si vel debitum illud deberet efficere culpam, vel culpa debitum: potius culpa efficeret debitum; quod signum est, illud debitum habere rationem posterioris; & sicut prior est offensā regis denegatioque munerum regiorum est poena, ita & in praesenti.

PROBATUR 2. Quia sequeretur vi hujus doctrinae, etiam Christi satisfactionem non fuisse condignam pro nobis, quod probatur. Quia nonnisi partem debiti solvit, quod ipsum probatur; est enim effectus misericordiae, ipsa Incarnatio, est item effectus misericordiae, quod voluerit Deus Theandrica opera pro redemptione acceptare & decernere, ipsumque peccatum incurrit debitum carendi redemptore. Neque hoc erit in praedictum ipsius dignitatis Personae divinae; quia si mereretur peccatum, ne possit Redemptor pro illo satisfacere, illud esset contra dignitatem Personae; secus si mereatur, ne de facto ponatur: & si potest peccator mereri sine praedictio dignitatis Personae divinae, ne sibi actu applicetur perseverantia finalis, licet non mereatur, ne possit applicari, ita & in praesenti.

PROBATUR 3. Possibile est aliquam puram creaturam non habere debitum carendi auxiliis gratiae. Vel saltem possibile, ut formet Deus decretum, ut careat debito carendi; & jam non esset ratio cur illa satisfacere non posset, & quidem manens intra statum purae creaturae: quod tamen videntur negare Patres.

OBJICITUR. Non minus placet Dei amor, quam displiceat peccatum: ergo ille cæteroqui satisfactivus erit.

RESPONDETUR. Magis semper displicebit peccatum, quia includet in se formalitatem offensæ infinitæ; nullam autem similem infinitudinem dicit amor Dei; offensæ enim mensurantur dignitate offensi, cum tamen dignitas actuum, non mensuretur dignitate objecti.

INSTABIS. Mander Deus creaturæ actum amoris, hic & nunc ponendum, eo casu, actus ille non minus placeret, quam displiceret omisio illius: Ergo ille amor posset esse sufficienter satisfactivus.

RESPONDETUR. Conformiter ad supra dicta, illa duo, in aliquibus rationibus, æquari posse, non autem in quantum omisio illa, diceret jam infinitudinem offensæ.

Punctum Difficultatis 7.

Rejiciuntur alii tituli.

Petrus à S. Ioseph lib. 2. de Christo cap. 10. sic rationem proponit. Quia quamvis malitia peccati sit finita, nihilominus Deus infinitis partibus dignitatem cuiusvis creaturæ superat, censeturque plus contemni per opus legi contrarium, quam censeatur honorari per quantumvis eximiam satisfactionem, ei à pura creatura oblatam; siquidem gravitas offensæ ex una parte spectari solet secundum dignitatem illius, qui offenditur supra offendentem: dignitas vero satisfactionis à Persona satisfaciēte sumitur. Quare, cum nulla sit proportio inter puram creaturam & Deum, hinc fit, non posse illi offerri satisfactionem æquivalentem pro culpa.

CONTRA 1. De hoc ipso queritur, cur debeat censi plus contemni Deus per peccatum, si illud finitæ malitiæ est, quam honoretur per eximiam satisfactionem. Concedo gravitatem offensæ spectari secundum dignitatem offensi; sed querere restat, si illa offensæ non aggravatur infinitudine dignitatis offensæ, quare æquari non possit: Concedo nullam esse proportionem inter puram creaturam & Deum, quia à parte Dei stat infinitudo: sed querere restat, cur non erit proportio, inter peccatum & satisfactionem creatam, si in illo non est infinitudo? Neque valet si recurras ad infinitudinem secundum quid, quia præter dicta alibi, illa infinitudo est finitudo simpliciter, cur ergo æquari non poterit.

CONTRA 2. Omne finitum ad æquari potest, saltem multiplicatis rationibus finitis, ergo idem dicendum in presenti, si illa culpa non est infinita.

RESPONDEBIS etiam finita si sint superioris ordinis, non posse æquari à finitis etiam multiplicatis, quæ sunt ordinis inferioris.

CONTRA erit, quia licet talia physicè æquari non possint, possunt tamen æquari in genere moris; ut potest, à plumbo multiplicato, æquari valor auri, ut urget Lugo. Deinde ostendatur

regula taxans, quænam possint æquari, quæ æquari non possint: apteturque ad præsens.

CONTRA 3. Quia, ut urgebatur alibi, si mortalis offensæ à nulla creatura æquari potest, nihil illi infinitudini deerit, ad esse infiniti simpliciter; præcipue autem, quia hæc infinitudo secundum quid, non potest poni talis, qualis ponitur ab aliquibus in amore Dei. Deinde, vel potest mortalis offensæ aggravari à dignitate infinita simpliciter, ita, ut acquirat in ratione offensæ, infinitudinem simpliciter, vel non potest ita aggravari? si non potest, da implicantia: si potest, dicam de facto ita aggravari offensas, eo, quod non sit in Dei libertate, partiri illud aggravativum.

Cajetanus sic discurre. Nulla satisfactio facta ex bonis creditoris est condigna & æqualis offensæ; satisfactio autem à pura creatura ponibilis, est satisfactio ex bonis Dei, tanquam creditoris; ergo non potest esse condigna.

CONTRA est. Tum quia vi hujus rationis probaretur etiam satisfactionem Christi non esse condignam & æqualem, quia & ipsa est ex bonis creditoris, cum eliciatur ex gratia, quæ est bonum & donum creditoris Dei, multoque magis ipsa Persona dignificans, est bonum ipsius creditoris Dei. Tum quia si mereri possumus de condigno vitam æternam ex bonis Dei creditoris, cur non & condignè satisfacere? Tum quia principium Cajetani utitur verum esse potest, de satisfactione in bonis pretio æstimabilibus, & sic nemo potest solvere debitum iustitialiter, ex bonis creditis, ab ipso creditore, cum solutio debeat esse ex proprio; certè tamen aliquis honore affectus à Principe, illum ipsum honorem impendere potest, ad condignam satisfactionem, ut si sese demittat, plebeio more. Quod etiam in hoc discrimen referri posset: quia si ex bonis creditoris velis satisfacere debito reali, semper illum relinques minoratum in bonis realibus; nihil autem simile habetur, si quis pro honore laeso satisfactorius, impendat honorem acceptum ab offenso.

DIFFICULTAS II.

De variis satisfactionibus & abolitionibus peccati à pura creatura ponendis.

PLuribus de hoc discurrendum esset: An, pro peccato facto sine advertentia ad offensam Dei, possit pura creatura satisfacere? quæ questio supponit: An tale peccatum fieri possit? an sit in genere offensæ infinitum? quorum utrumque tractatum est alibi. Ex quibus colligitur pro tali peccato posse à pura creatura satisfieri; quia nulla est ratio, cur pro illo satisfacere non possit pura creatura, cum illud non sit infinitum in genere offensæ. Ad alia nondum disputata accedendo, sit.

Pun-